



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvii Ordinis F. Minorum de  
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;  
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis  
neceßarium**

**Cambi, Bartolomeo**

**Coloniae, 1606**

De propria voluntate. Cap. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

**S**I quis vult venire post me, abneget se-  
metipsum, & tollat crucem suam, & se-

Matth. 16.

quatur me. Verba hæc, anima, sunt  
sponsi tui IESV Christi. Quibus  
instrueris, primum ac præcipuum  
semitæ spiritualis fundamentum  
esse propriæ voluntatis abnegatio-  
nem. Propria namque voluntas, tam  
foedam ac turpem animæ maculam  
aspergit, vt illam oculis sponsi sui  
IESV Christi prorsus abominabi-  
lem constituat: Qui adeò propriæ  
voluntatis inimicus est, vt de seipso  
dicat. *Veni in hunc mundum non vt faciam  
voluntatem meam, sed voluntatem eius  
qui misit me.* Et proximus passioni,  
cùm factus in agonia, Patrem in  
horto deprecaretur, sanguinemque  
toto corpore sudaret, voluntatem  
suam in Patris manus integrè con-  
signauit dicens. *Verumtamen non mea  
voluntas, sed tua fiat.*

Propria vo-  
luntas præ-  
cipua est a-  
nimæ macu-  
la.

Ioan. 6.

Luc. 22.

Anima igitur quæ sponso coelesti  
probari concupiscit, omnem curam  
ac diligentiam adhibeat, vt condi-  
tionibus & moribus eius sese to-

Anima Chrî-  
sto placere  
cupiens,  
debet con-



*formare.*

tam, quoad fieri potest, accommo-  
det & conformet, quarum precipue  
sunt humilitas & obedientia: *Chri-  
stus enim factus est pro nobis obediens us-  
que ad mortem, mortem autem crucis.*

*Philip. 2.*

*Propria vo-  
luntas omni  
studio extir-  
panda.*

Quapropter dies, noctesque vni  
huius studio inuigilet, quomodo  
plurimas aquas & smigmata per-  
uestiget, quibus foedam & putidam  
propriae voluntatis maculam eluat.  
Et quantum conniti potest, quan-  
tum labore contendere, tantum fa-  
ciat ut propriam voluntatem fran-  
gat, atque profliget, aliorumque vo-  
luntati subijciat, si sponso accepta  
probataque esse appetit: secus si fe-  
cerit, certò sibi persuadeat, non ad-  
eò noxium cadaver mortuum foe-  
torem exhalare, nec hominibus ad-  
eò abominabile esse, quantum ani-  
ma proprii sensus, iudicij, & volun-  
tatis coram Deo foetet atque hor-  
rori est.

Quare opus est, ò Anima, sponso  
tuo IESV Christo placere cupida,  
ut te integrè in diuinum eius bene-  
placitum resignes, ac sine vlla con-  
tra-

traditione, promptissimam ad omnia quæcunque de te facere voluerit offeras, ei in omnibus ad nutum morem geras, cunctisque quibus ille voluerit, propter ipsum libens obtemperes.

Veruntamen aduerte non ideo *Non esse ad* necessarium esse, vt quisquis perfe- *perfectionē* ctionis desiderio tenetur obedi- *necessarium* tiam voueat: hoc namque si ita es- *obedientie* set, illi soli qui obedientiæ voto sese *votum.* obligant, vt sunt Religiosi, perfecti forent: quod falsum esse quotidiana docet experientia, cum plurimi in sæculo & hætenus peruenerint, & modò perueniant ad maiorem, præ multis Religiosis, perfectionē.

Sed necessarium est vnicuique ad perfectionem anhelanti, vt integrè in cunctis rebus & euentibus in diuinam se voluntatem resignet: Quales non paucos in sæculo reperire licet, qui quamuis sub nullius hominis obedientia constituti sint, solum tamen Dei beneplacitum in omnibus quæ grata ei, acceptaque esse cognouerint, adimplere fatagunt,

*Anima ad perfectionē aspirans Deo in omnibus se resignare debet.*

ac proinde maximos indies in vita  
spirituali progressus faciunt.

*Homines  
fragiles obe-  
dientiae se  
debent sub-  
mittere, vt  
ad perf. Eli-  
onem perue-  
niant.*

Verumenimvero, cum reperian-  
tur nonnulli adeo in spiritu imbe-  
cilles & infirmi, qui si tentationi-  
bus appetantur, aut occasiones pec-  
candi habeant propter fragilitatem  
suam, & modicum amorem Dei, ac  
magnam immortalitatem & ir-  
resignationem, quam in se sentiunt,  
sola diuinæ voluntatis regula, à pec-  
cato se coercere non valent, quam-  
uis bona voluntate diuinum bene-  
placitum in omnibus perficendi  
præditi sint: Talibus necessarium est  
vt obedientiæ alicuius hominis se  
subijciant, cuius directione consilio  
& adiutorio, tentationis tempore  
victores euadere, hostiumque ma-  
chinamenta superare queant; quò  
etiam, dum rebelliones, immortalifi-  
cationesque naturæ sentiunt, seipfos  
relinquere compellantur, ac exer-  
ceantur vt ad perfectionem perue-  
niant, eo quod seipfos nõ bene vin-  
cere valeant.

*Perf. Eli*

At hi qui perfecti sunt, aut certè  
licet

licet perfectionem nondum contigerint, adeò fortis animi sunt, atque spiritu Dei atque amore eius intus sic aguntur, vt per exiguo illo cum timore & amore quo præditi sunt, victores in tentationibus euadant: dum videlicet, eo solo fræno, quod ea quæ ipsis à tentationibus suggeruntur, Deo displicere animaduertant: à vitijs se cohibent, salutarem sibi violentiam inferunt, sicque gloriosam de seipsis victoriam reportant, ad altissima perfectionis fastigia plerunque pertingunt, sine sui sub alicuius, præterquam ipsius Dei, superiorumque à Deo ipsis præpositorum, obedientia, & subiectione.

His tamen necessarium cum primis est, vt sint adeò in diuinam voluntatem resignati, vt si nossent Deo placere, quod ad alicuius hominis obedientiam sese obligarent, illud sine vlla recusatione facturi essent. Ac propterea illi qui in sæculo ab omni obedientia soluti ac liberi sunt, si libertatem hanc eò conferant, vt liberius atque feruentius die nocteque

*Sufficit vt  
obediencie  
Dei subsint.*

*Perfecti pa-  
rati debent  
esse ad obe-  
dientiam, si  
Deus ita  
vult, sube-  
undam.*

Que sancte orationi alijsque spiritu-  
alibus exercitijs intendant, sunt om-  
ni laude digni: modò non gaude-  
ant neque complacent sibi de li-  
bertate naturæ & sensualitatis: ca-  
ueantq; ne ea libertate ad suam per-  
nitiam abutantur, sed solliciti sint,  
quomodo totis viribus diuinam o-  
bedientiam in omnibus integrè  
perficiant.

*Consilium o-*  
*ptimum pro*  
*ijs qui ad o-*  
*bedientiam*  
*non tenentur.* Consilium nihilominus maximè  
securum est: vt quisquis hanc perfe-  
ctionis semitam inire cupit, siue  
ad obedientiam obligatus sit, siue  
non eligat sibi ( loquendo de illis  
qui nulla ad hoc obligatione tenen-  
tur) Confessarium aliquem, sub cui-  
us obedientia viuat, & cuius dire-  
ctioni se totum committat, sine ta-

*Obedientia*  
*securissima*  
*ad perfecti-*  
*onem via.* men obedientiæ voto, cum sola ni-  
mirum libera voluntatis resignatio-  
ne. Hæc namque obedientiæ semita  
securissima est, diuinæque maiestati  
maximoperè probatur.

*Religiosi*

Verùm, vt ijs quoque qui obedi-  
entiæ voto se constrixerunt, satisfa-  
ciamus, docebimus hîc, qualem o-  
bedien-

bedientiam Superioribus suis præ-  
stare debeant, si ad perfectionis cul-  
men pertingere desiderent. Ani-  
maduertant itaque tres esse gradus  
obedientiæ.

*Quomodo  
debeant o-  
bedire.*

PRIMVS est eorum qui obtem-  
perant quidem, sed inuitè ac illi-  
benter, dum fragilitatem suam &  
imbecillitatem prætexunt, de quæ o-  
bedientiæ grauitate sæpe conque-  
runtur: ac laborant vt prælatus ea  
quæ sibi, non quæ prælato placent,  
per obedientiam imperet. Hæc obe-  
dientia coacta, ac plurimum imper-  
fecta est.

*Primus gra-  
dus obedi-  
entiæ.*

SECUNDVS gradus: Est eorum  
qui in omnibus & per omnia volun-  
tati superiorum sese conformant,  
sine vlla repugnantia, cõquestione,  
murmuratione, aut excusatione, nec  
sunt solliciti quid ipsis præcipiatur,  
sed prompto atq; hilari animo iussa  
perficiunt: Verùm id agunt vel vt  
reprehensiones, confusiones, & pœ-  
nas inobedientibus constitutas eua-  
dant: vel ne superiores suos ad indi-  
gnationem prouocent: vel vt ab eis  
magni-

*Secundus  
gradus obe-  
dientiæ.*



magnificent, laudentur ac eorum sibi voluntates ac amicitias concilient.

De his, quia Deum pro fine actionum suarum non habent, nec eas solius Dei amore perficiunt, ait Christus, *Receperunt mercedem suam.*

*Matth. 6.*

Vera enim obedientiae ratio in eo consistit, ut omnia solius Dei amore ac intuitu faciamus, quo per ea ad maiorem illius gratiam, misericordiam, amicitiam, dilectionem, & familiaritatem pertingamus. Cumque omnia secundum possibilitatem perfecimus, à superioribus contemni, despici, & malè tractari optemus.

*Tertius gradus obedientiae.*

TERTIVS obedientiae gradus, qui obedientia vnionis nuncupatus est: Quando quis non tantum omnia superiorum iussa hilariter perficit, verum etiam cupit modum & causam obedientiae in sua voluntate, integrè dependere, atque vnitam esse cum voluntate praecipientis. Haec obedientia propriè exhibetur Deo, à charioribus, familiarioribus, & secretioribus amicis eius, Quorum

*Perfectorum voluntas cum divina vo-*

quorum voluntas Deo perfectè re-  
 signata, & vnita est in omnibus di-  
 uinæ voluntati, vt vnus eiusdem-  
 que cum Deo sint voluntatis, vsque-  
 adeò vt quicquid Deus ipsis immi-  
 serit, id omne gaudentes ab eo susci-  
 piant, confiteanturque Deum pro  
 sua immensa misericordia, eximio-  
 que quem erga eos gerit amore, hæc  
 eis immittere: atque adeò intimo  
 cum affectu ea quantumuis damno-  
 sa, nociua, molesta, aut erubescentiæ  
 plena fuerint, de manu Domini sus-  
 cipiunt.

*Modus maculam propria volun-  
 tatis abluendi.*

VT hæc labes adeò nociua & di-  
 uinis oculis execranda eluatur, ne-  
 cessarium est triplicem aquam vsur-  
 pare: Quarum prima est: Poenas &  
 animaduersiones quibus Deus in  
 inobedientes animaduertit consi-  
 derare: *secunda* est: Præmium ineffa-  
 bile, quod verè obedientes conse-  
 quuntur sunt, animo reuoluere. *Ter-  
 tia* est: Perfectissimam IESU Chri-  
 sti

*luntate  
 prorsus vnã-  
 ta est.*

*Triplex a-  
 qua pro ma-  
 cula proprie  
 voluntatis  
 eluenda.*

iti obedientiam seipsum expendere.

Ad primam quod attinet. IESVS Christus in extremo saeculorum die cum viuos & mortuos iudicaturus aduenerit, omnes inobedientes terribili hac sententia percellat, atque sempiternis ignibus adiudicabit: cum dicet: *Ite maledicti in ignem eternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* O quam facile Macula haec ex ignis sempiterni & immanium cruciatuum, quibus rebelles, & mandatorum Dei ac superiorum suorum contemptores torquebuntur, diligenti consideratione abluitur.

*Matth. 25.*

*Prima aqua  
penarum in  
ferni.*

Ad alteram quod spectat: Eodera iudicij die Christus omnes obedientiae filios amantissimis his verbis ad regni sui possessionem inuitabit. *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum a constitutione mundi:* O quam promptè & hilariter, anima, obtemperabis Deo, & cunctis hominibus ac creaturis propter eius amorem, si mente pertractaueris, coeli empyrei magnificentiam: diuinæ faciei pulchritudinem: coele-

*Matth. 25.*

*Secunda aqua  
gandiorum Para-  
dyfi.*

coelestis gloriae dulcedinem: Angelorum ministeria, gaudia & laudes sanctorum, quibus diuinum numen concelebrant: Beatissimæ virginis **MARIAE** sublimitatem, & **IESU** sponsi tui suauissimum aspectum: gloriam sine fine duraturam, iubilum interminabilem, musicam & concentum indeficientem, bonum omnia bona in se complectentem, mare inexhaustum, abyssum incomprehensibilem. Et quid amplius? Felicitatem omnia quæ desiderari possint in se comprehendentem; bonum inexplicabile: gloriam ineffabilem.

Præterea cum consideraueris quod ad bona hæc ingentia & innarrabilia: ad quæ gloriam hæc ineffabilem, per obedientiam & tui ipsius ac voluntatis tuæ abnegationem pertingere valeas. Hæc inquam quotiescunque animo reuolueris, quam prompta eris ad obediendum: quanto odio & horrore te ipsam & propriam voluntatem prosequeris; quandoquidem intelligis nulla alia ratione, quam si voluntati propriæ satisfeceris,

feceris, te bonorum tam ingentium iacturam facere posse. Certè hæc consideratio sufficiens est, vt hanc labem eluere, ac funditus extirpare valeat.

*Aqua tertia est, considerare obedi- entiam IESV Christi.* PORRO quoties tecum expende- ris IESVM sponsum tuum cum DEVS esset adeò se humiliasse, & abiecisse, vt humanam naturam as- sumpserit: nec tantum DEO Patri suo, sed etiam hominibus, puta Iosepho patri nutricio, & MARIAE matri suæ, ad nutum obediuerit: sic enim legitur apud Euangelistam.

*LUC. 2.*

*Erat subditus illis:* Neque ijs modò, verùm etiã sæpenumerò alijs abiectis hominibus obtemperauerit, vtpote Apostolis, alijsque, quorum petitionibus frequenter morem gessit: Hęc inquam si consideraueris, fieri ne potest, si desiderio Christo placendi ardes, vt non ipsi & omnibus creaturis, illius amore obtemperes? Nequaquam certè, modò eum verè, vt meretur, dilexeris. O IESV quando te diligam

*De affe.*